

PROGRAMM

des

Königlichen und Stadt-Gymnasiums zu Cöslin,

womit zu der am Schluss angezeigten

Feier des 22. März

und

zur öffentlichen Prüfung am 23. März

ehrerbietigst einladet

Dr. F. Roeder,
Director.

Inhalt: 1. Corollarium Venusinum } des Directors.
2. Jahresbericht }

Cöslin 1869.
Gedruckt bei C. G. Hendess.

ADVERSARIORUM IN Q. HORATIUM FLACCUM PARTICULA.

Semper et erunt et fuerunt, qui in critica arte factitanda veterum scriptorum integritatem sola codicum mss. et antiquorum exemplarium auctoritate metirentur. Contra ea novicium exstitit genus criticorum videlicet aestheticorum, qui spreta memoriae fide nihil rectum, nihil sincerum putant, nisi quod ipsorum ingenio et elegantiae conveniat. Atque sicubi in aliquem angiportum inciderunt, unde exitus patet nullus, quidquid obstat, id delendum esse censent. Medici cuiusdam famosissimi more et exemplo secant, urunt, obtruncant secundum illud: quod ignis non sanat, ferrum sanat, quod ferrum non sanat, mors sanat. Quorum impetus nemo veterum expertus est acerbius Horatio Flacco, cuius in carminibus ἀθετήσεων iam tanta est multitudo et licentia, ut Horatium ex Horatio prope videantur sustulisse. Subtiliter, ut solet, et copiose ea de re disputavit G. Bernhardyus in „Adumbratione litterarum latinarum novissima pag. 573." Nec iniuria queritur Theodorus ille Bergkius censuram agens Sophoclis Nauckiani in novis annalibus philologiae Lipsiensibus vol. XCVII fasc. VI pag. 382: „Horaz der Lyriker erfährt von Seiten der Kritik die schnödeste Ungunst. Ist ein Gedicht kurz, besteht es nur aus zwei Strophen, so verwirft man dasselbe als unbedeutend und schlecht; dichtet er eine Ode von elf Strophen, dann corrigiren die Kritiker so lange daran herum, bis nur zwei Strophen übrig bleiben, die man nur gelten lässt, weil sie Product der Kritik sind u. s. w." Sic O. F. Gruppius, ut luculento utar exemplo, in libro ex officina Teubneriana Lipsiae a. 1859 edito, qui inscribitur Minos, pag. 298 sqq. miserabiliter mutilavit elegantissimum

carmen I, 1.,

cui, si quid video, neque deest verbum ullum neque superest. Constat autem tradidisse Horatium per hanc oden partem carminum suorum collectam Maecenati et in argumento versatum esse huiuscemodi: Maecenas, dum alii alia via voluptatem sectantur et felicitatem, ego mihi videor beatissimus esse, ubi in amoeno secessu rustico favore fruor Musarum. Atque si mea tibi placuerint carmina, nihil mihi aut melius aut honorificentius contingere unquam poterit. Quod quidem argumentum per se satis tenue et simplex quomodo poeta propositis tribus quasi quibusdam tabulis explanaverit, ornaverit, illustraverit, perspicue docet Dillenburger in prooemio commentarii sui. Quid autem Gruppius? Quae Flaccus dedit veterum testium consensu confirmata ipse circumcidit ita ut nihil reliqui faceret nisi corpusculum quod sibi persuasit mellitissimum esse et poeta unice dignum hocce:

„Sunt quos curriculo pulverem Olympicum
Collegisse iuvat, metaque fervidis
Evitata rotis palmaque nobilis
Terrarum dominos evehit ad deos:
Hunc si mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus;
Illum si proprio condidit horreo,
Quidquid de Libycis verritur areis.
Multos castra iuvant et lituo tubae
Permixtus sonitus bellaque matribus
Detestata. Manet sub Iove frigido
Venator tenerae coniugis immemor.
Me doctarum hederae praemia frontium
Secernunt populo, si neque tibias
Euterpe cohibet nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton."

Placeat per me circumcisus iste Horatius Minoi redivivo vel alteri, quicunque is est: ego tamen, quo diutius contemplor, eo magis cor desidero et succum et sanguinem. Neque vero tanta vi et licentia Gruppium existimo grassaturum fuisse, nisi subvenire voluisset novae carminis descriptioni strophicae, qua simplex et egregia eius structura misere laceratur. Etenim quae monocola veteres grammatici et habuerunt et nuncuparunt, hodie Meinekio et Lachmanno gravissimis sane auctoribus ut cetera Venusini poetae carmina quaternorum versuum strophis inclusa passim in editionibus circumferuntur. Quam rationem idoneis de caussis reprobavit F. Ritter ad carm. IV, 8. Deinde fieri potuit, ut Gruppius superiorum aliquot criticorum praeiudicio ad illius commentum opinionis abriperetur. Namque in numero eorum, qui hoc carmen varie tentarunt, reperiuntur etiam principes quidam philologiae Germanicae velut Godofredus Hermannus. Cuius iudicio etsi tantum tribuimus, ut ab eo dissentire fere pudeat, facere tamen non possumus, quin eum hac quidem occasione calidius quam rectius egisse statuamus, quum solidi carminis caput certe et pedes amputaret. Versus dico 1. 2. 35. 36., quibus demptis quid interest inter hoc carmen et exanimem truncum? Nimirum ea demum ratione vita et spiritus redit tabulis, quae sunt de studiorum humanorum varietate sollerter compositae, quod poeta suum studium ceteris contrarium patrono maxime dilecto probatum ivit. Quo quum singula quaeque referantur, simul totum quiddam i. e. simplex illud et unum ponitur, quod in quovis artis opere imprimis requirit ipse Horatius epp. II, 3, 23. Ac profecto Hermannus, si lente secum reputasset, quibus veterum grammaticorum, scholiastarum, codicum mss., Martialis (epigr. XII, 4) ipsiusque adeo Horati (Epp. 1, 1) testimoniis muniti sint versus ab ipso damnati, iudicium ab iis cohibuisset aut saltem iudicasset cautius. Quid est autem, quod in iis vituperet? Haeremus, inquit, in fine carminis, in quo illa, q u o d s i m e l y r i c i s v a t i b u s i n s e r i s, apertum est non recte dicta esse. Oportebat enim aut q u o d s i t u m e aut t u s i m e. Cur oportuerit,

non addit Hermannus. Ad Maecenatem vero, quem initio appellaverat, redire poetam, satis elucet ex forma verbi inseris. Distinctionis vel oppositionis tu pronomine exprimendae necessitas in sententiarum comprehensione inerat nulla. Quoniam autem post longiorem demum intercapedinem illuc, unde abiit, redit poeta pro simplici condicionis particula si adhibet quod si i. e. quapropter si, ut Verg. Aen. II, 140. VI, 363 et ipse Horatius aliquoties. — Sed pergit Hermannus: „Manet aliud multo gravius, quo factum est, ut totum carmen ineptum sit atque absurdum. Nam quid illa sibi volunt:

Maecenas atavis edite regibus,
O et praesidium et dulce decus meum!

Quorsum ista tam gravis, tam splendida, tam magnifica appellatio? Exspectamus magnum quid et insigne, quodque dignum tam honorifice invocato patrono sit, secuturum. Quid vero infert, qui tanto hiatu os aperuit? Rem tritissimam, omnibus notam sqq.“ Fateor me huius obiurgationis morosae caussam non intellegere. Horatius Maecenatem, a quo insignibus beneficiis auctus ornatusque esset, iusta debitaque prosequebatur veneratione ac pietate. Cf. Epp. I, 7, 37. 38. Itaque quum patrono nobilissimo primum consecraret et mitteret fasciculum carminum ab eodem efflagitatorum, quid, quaeso, opportunius, quid magis consentaneum facere poterat poeta, quam ut in fronte quasi carminis dedicatorii, qua esset in virum optime de se meritum voluntate, ostenderet, praedicaret et quam fieri posset gravissime testificaretur? Atque quae subsequitur hanc grati animi testificationem descriptio brevis sed magnifica certaminum curulium, ea neque rei dignitate neque verborum splendore praegressae allocutioni cedit. Adde quod idem color elocutionis per totum diffunditur carmen, ut vel studiorum mentionem vulgarium ornatu poetico satis commendaverit. Quod autem poeta profitetur, quodque rem caussamque continet, sese iam in lyrica poesi vitae quasi tabernaculum posuisse indeque divinam percipere voluptatem, praesertim si Maecenas, ut faciebat, eum inserat vatum lyricorum choro, ea profecto neque tritissima res fuit neque tum omnibus nota. Hermannus autem ne Gruppio quidem satisfecit, cuius in Minoe pag. 101 haec leguntur: Ich stimme mit Hermann doch nur bis auf einen gewissen Punct; denn ich kann mich nicht überzeugen, dass die Anordnung, wie er sie nach vierzeiligen Strophen giebt, schon die Horazische sei. Bei ihm steht nämlich „Me doctarum hederae“ in der Mitte der Strophe, während es offenbar der Anfang einer Strophe sein muss u. s. w. Multo autem minus probat P. Hofmanum Peerlkampum, qui, repudiata Guieti sententia totum carmen non esse Horati putantis, septem versibus deletis dignum, si dis placet, poeta Romano carmen efficere conatus est. Enimvero pag. 298 libri supra citati Peerlkampum ille culpat, quod adulterinis fere abstinuerit, convellerit genuina. Perspicis, nisi fallor, hoc exemplo, in quo statu sit res doctorum hominum et indoctorum, qui effrenata divinandi libidine accensi recentiore tempore in odorandis et investigandis interpolationibus, quibus carmina maxime Horati scatere opinantur, certatim operam collocarunt. Alius alia loco movet, quae non sunt movenda, alius alium sive temeritatis insimulat sive falsae interpretationis, alius alium contendit nunc longius, quam par esset, nunc non eo usque, quo oporteret, progressum esse. Quorum opiniones quum tam variae sint tamque inter se dissidentes, fieri profecto potest, ut earum nulla vera

sit. Denique hoc quidem in eo genere observatione dignum arbitror, quod nulla plane de eiusmodi interpolationibus reperta sunt veterum testimonia sive aequalium Horati sive posterorum: quamquam constat, eum omni aetate nactum esse amatores, lectores, admiratores, qui libros eius assidua tractatione penitus cognitos haberent, ut videri deberet permirum, si illorum exemplarium, quae, ut autumant illi critici, statim post obitum poetae depravari coepta essent, nullus testis et monitor antiquus exstitisset. —

Carm. I, 28.

Aditus ad hoc carmen in epodi speciem compositum diu impeditissimus et criticorum et interpretum dumetis tanquam muro obseptus fuit. Quare Orellius queritur: „Difficillimum sane est verum statum scenamque carminis ita exponere, ut et tibi et aliis satisfacias: in quo, libere ut fatear, non omni culpa vacuus videtur ipse poeta." Sed quid, quaeso, commeruit aut peccavit innocens poeta, ut interpretes utique inferrent dialogum Archytae et nautae et de partibus utriusque distribuendis lites moverent non magis acres quam supervacaneas? Nonne ipse versu uno et vicesimo et vicesimo altero, qui sit ille, quem per totum carmen loquentem fecerit, perspicue declarat? Sed audiamus Franciscum Ritterum, qui, quamvis pro ea, qua est exquisitae doctrinae copia et judicii subtilitate, plurimum commentario suo ad Horatium rectius intelligendum contulerit, tamen de hujus carminis perquam controversi scena, descriptione, argumento non ab omni parte probabiliter videtur disputasse. Ait autem: „Umbra hominis Tarentini, tempestate maris Illyrici qui perierat, ad portum urbis patriae vagatur, ibi tumulum Archytae conspiciens sortem humanam et suam miseratur. Inter quae nautam ex portu Tarenti vecturum conspicatus ille hunc monet, ut corpori suo inhumato ter maris arenam (in litore Illyriae) iniciat. Varios interpretum errores de dialogo Archytae et nautae narrantium, aut adeo de sermone ipsius Horatii cogitantium, aut unum carmen in duo dissecantium recensere et longum est et nihil utilitatis habet. Rectius quaeritur, quis sit, cujus verba referuntur. — — — Doctum juvenem esse puto, qui ex Apollonia, Illyriae oppido, vel ex alia ejus orae civitate Tarentum rediturus in eo itinere prope litus Illyricum naufragio perierit, mox inhumatus et quietis apud inferos expers in solo patrio horis nocturnis vagari dictus sit."

Iam vero tria insunt in hac disputatione, de quibus cum Rittero agere liceat. Non infitior doctum fuisse juvenem illum naufragum. At Tarentinum? Quis prodidit? Horatius certe ne verbulo quidem. Neque facile adducor, ut credam Tarentinum hominem, qui illum Archytae tumulum inde a pueritia ante oculos habuisset, tunc demum consueto aspectu tam percussum fuisse, ut subito exprimeret hanc fere sententiam: Ergo te quoque, tantum virum, mori oportuit! atque deinde omnibus vel summis hominibus quamvis aliis aliter moriendum esse adderet. Vereor etiam, ut doctus homo Tarentinus, quem Pythagoreum fuisse non improbabile est, sic cum leni quadam irrisione de Pythagora ejusque metempsychosi loqui sustinuerit, quemadmodum legimus a versu decimo usque ad versum tertium decimum. Deinde non verisimile est, quod vult Ritter corpus mortuum in litore Illyrico jacuisse. Contra ea umbram, quae ad portum Tarentinum versatur, circa corpus suum errare crediderim. Quidni enim fieri potuit, ut Euri viribus ex undis

Illyricis, quibus obrutum fuisset, adveheretur corpus in Italiam? Ex eo, quod poeta de hoc advectu silet, contrarium non sequitur. Nam multa passim poetae et epici et lyrici silentio praetereunt, quae per se facile intellegantur. Quo in genere semper valebit epigramma illud Schilleri:

„Jeden anderen Meister erkennt man an dem, was er ausspricht:
Was er weise verschweigt, zeigt mir den Meister des Stils."

Nullo autem modo, opinor, anima vaga reticere debebat locum, quo corpus inhumatum in litore Illyriae jaceret, quod a nauta in Illyricum profecturo vellet sepeliri, ut ad inferos ipsa reciperetur. Certe loco de hac veterum superstitione illustri Iliadis rhaps. Ψ v. 71 sqq. Patrocli anima non procul a corpore suo Achillem hortatur:

Θάπτε με ὅτι τάχιστα· πύλας Ἀΐδαο περήσω·
Οὐδέ μέ πω μίσγεσθαι ὑπὲρ ποταμοῖο ἐῶσιν,
Ἀλλ' αὔτως ἀλάλημαι sqq.

Atque ipsa verba clausulae carmini Horatiano impositae:

Quamquam festinas, non est mora longa: licebit
Iniecto ter pulvere curras

opinionem illam, quae est de corpore in remotum Illyriae litus proiecto, vix admittunt. Etenim manifestum est animam morae impatientem instare nautae, ut priusquam solvat navem i. e. illico corpus mortuum pulvere saltem ter iniecto sepeliat. Ergo corpus existimandum est in propinquo jacuisse.

Tertium restat, quod nos in Ritteri disputatione male habuit. Negat enimvero vir acutissimus de sermone ipsius Horati cogitari posse. Quod cur aspernetur, non liquet. Ut contrariam rationem amplectar, id praesertim me movet, quod sic omnes salebrae, in quibus interpretes adhuc haesitarunt, facillime de medio tolluntur. Originem autem carminis hujuscemodi fuisse suspicor: Flaccus quum aliquando versaretur in agro Tarentino, quem terrarum angulum sibi praeter omnes ridere carm. II. 6, 13 praedicat, forte delatus in eam regionem litoris, unde prospectus patebat in sepulcrum Archytae, animi causa consedit, ibique, ut fit, undis leniter obstrepentibus, eundo solisque calore fatigatus in somnum labi coepit, velut Iliade Hom. rhaps. Ψ, 59

Πηλείδης δ' ἐπὶ θινὶ πολυφλοίσβοιο θαλάσσης
Κεῖτο βαρὺ στενάχων, πολέσιν μετὰ Μυρμιδόνεσσιν,
Ἐν καθαρῷ, ὅθι κύματ' ἐπ' ἠιόνος κλύζεσκον.
Εὖτε τὸν ὕπνος ἔμαρπτε.

Jam Horatius per somnium obscura recordatione discriminis, in quod vita ipsius olim in itinere maritimo ad promontorium non adeo remotum inciderat (Od. III 4, 28), et tumuli, quem vetusta Tarentinorum fama Archytae esse ferebat, vicinia et tanquam impulsione in animo excitatum ipse sibi visus est naufragio periisse et tristis umbrae instar vagari circa corpus suum in litus ejectum, ubi conspecto, quem diximus, tumulo a propriae miseriae (Hom. Od. XIX 581) sensu aliquantisper abstractus Archytae manes de vanitate rerum humanarum communique moriendi necessitate appellaverit subito autem nautam conspicatus e portu Tarentino profecturum illum imploraverit, ut priusquam aveheretur, justa sibi persolveret. Expergefactus poeta, quod

posthac Petrarcam saepissime fecisse tradunt, quae in somno viderat, commodis ornavit versibus et, sicut ejus mos erat, fabulosis exemplis amplificavit. Ceterum non dubito, quin Ritter hanc visionem litoralem, *) quam dixerim, primis carminibus ab Horatio compositis recte annumeraverit.

Carm. II, 1.

Vexatissimi carminis stropha tertia vehementer displicuit Peerlkampo propterea quod ejusmodi admonitio poetae suadentis Pollioni, ne duas res simul agat, hoc est ne scribat historiam bellorum civilium et tragoedias, dedeceret Horatium et esset admodum rustica. Quid autem? Si de duplici munere eodem tempore vix pariter obeundo omnino non loquitur poeta, sed de uno opere tragoediae, qua Pollio conatus sit bellum civile Caesarianum inde a conspiratione inter Caesarem et Pompejum Crassumque facta usque ad mortem (v. 24) Catonis Uticensis voluntariam complecti, cuiusque hic ipse Cato forsitan persona fuerit primaria. Quo posito atque concesso in promptu est versu sexto verba „periculosae plenum opus aleae“ intellegere cum F. Rittero de opere, quo multa multorum describuntur pericula et discrimina (cf. Tacit. hist. I, 2), atque „ignes suppositos cineri doloso“ de ignibus cupidinis et irarum, quos Caesar et Pompejus, quum inter se obtrectarent, interdum doloso cinere i. e. simulata amicitia contexerint. Ipsum nomen aleae in mentem revocat vocem Caesaris decantatam, quam in Rubicone transeundo narratur edidisse. Stropha autem secunda tertiae connexa est in hunc modum: Sumpsisti tibi, Pollio, scribendam tragoediam periculosis opimam casibus, sed negotiis districtus forensibus et publicis, quae significantur vv. 13 et 14:

„Insigne moestis praesidium reis
Et consulenti, Pollio, curiae“, —

nunc ipsum in eo opere cessas.

Licet autem

„Paullum severae Musa tragoediae
Desit theatris: mox ubi publicas
Res ordinaris (i. e. ordine confeceris) grande munus
Cecropio repetes cothurno.“

Inde a versu septimo decimo sequitur altera pars carminis, qua poeta Pollionis in describendo vigorem, quem fortasse per quandam recitationis occasionem cognoverat, ita tanquam pingit, ut ejus picturae colores multo melius tragoediam deceant quam historiam, praesertim id scripturae genus, quo Pollionem usum esse probabile est. De C. Asinio Pollione tragico adeas G. Bernhardyi adumbrationem vel potius thesaurum litterarum Romanarum p. 420 not. 319 ed. novissimae, de historico p. 252.

---

*) In speciminibus typographicis emendandis occupato mihi Nauckiana editio Horati sexta affertur. Quam dum perlustro, forte inciderunt oculi in hoc carmen I, 28, cuius de genere universo et dispositione Nauckium idem fere mecum sentire tunc demum reperi. Ea auctoritate confirmari iudicium meo Marte factum et ante hos viginti quatuor annos margini exemplaris mei Orelliani ascriptum laetabar, hoc autem rebar addendum esse, ne vel acta agere vel aliena viderer venditare pro meis.

Stropham septimam „Juno et deorum" sqq., qua sublata ordo seriesque sententiarum tolleretur, Peerlkampus ex glossa natam, vestitum vero poeticum ex Vergili et Lucani laciniis consarcinatum opinatur. Quis est autem, qui hoc concedat in tanta verborum numerorumque concinnitate, quae nihil minus quam glossam sapit suturasve refert operosas. Quid est igitur, quod Peerlkampi animum offenderit? Nihil reperio aliud nisi mentionem Jugurthae, „cui, inquit, bonus poeta tantum honorem non tribueret". At Junoni certe, qualem ex Aeneide Vergiliana cognoscimus, nemo facile videri poterat dignior, cui ad Thapsum caesi Romani sanguine suo parentarent, quam rex ille Numidarum et vaferrimus et Romano nomini infestissimus, qui, ut Plutarchus auctor est in Mario, postquam diu multumque Romanis negotia facessivit, tandem captivus in triumpho ductus, deinde in carcerem compactus et nudus in barathrum deiectus est, ut denique stuporis plenus exclamaret: O Iupiter, quam frigidum est vestrum balneum! Atque quis ignorat, bellorum civilium, quae continuo inde a v. 29 deplorat Horatius, caussam et semen fuisse exitum belli Jugurthini i. e. captum a Sulla Jugurtham et ortam inde inter Marium et Sullam invidiae obtrectationem ac simultatem? Ergo nihil erat, cur in eius nomine ad hunc locum adhibito haereret criticus, nam quos mavult commemoratos in hac re Poenos et Hannibalem, eos alibi poeta celebravit. —

Carminis II, 2

summa haec est: Quid iuvat argentum, quod non convertis in usum! Quam sententiam sic persequitur et exornat poeta: Ut nullus argento color est in tenacibus terrae venis latenti, ita tibi, Crispe Sallusti, pecunia nullius pretii esse nec splendere videtur nisi usu temperato. (Quae quam apte dicantur ad metallorum possessorem, qualis perhibetur fuisse Sallustius (cf. Plin. Nat. Hist. 34, 2), eundemque pecuniae nisi sapienter et liberaliter collocatae contemptorem, uberiore explicatione non indiget). — Iam quum ea sis mente ac voluntate liberali, fieri non potest, quin aeternam tibi laudem parias, quemadmodum singularem Proculeji illius in fratres benignitatem nulla unquam delebit oblivio. Neque solum post mortem per ora hominum volitabis et fama celebraberis superstite verum etiam in hac vita habendi cupiditate domita rex eris et maior quidem ac felicior, quam si latissimas regiones sub imperium ditionemque tuam subiunxisses: contra ea pravae qui indulget cupidini velut hydropicus nunquam satiabitur sed in dies magis laborabit. Nam felix minus recte is nominatur, quem ut Phraaten, regem facinorosum, in regnum, quod gravi clade amiserat, nuper restitutum imperita plebs beatum praedicat, sed qui opibus contemptis inutilibus integrum sese praestat et virtutis compotem. — Haec si recte exposuimus, consequens est, avaris terris significari argenti fodinas, quae non sine magno labore aperiuntur, non thesauros sub terra effossos et fornicibus munitos, quemadmodum ducibus scholiastis veteribus interpretatur Ritter. Eiusmodi thalamos subterraneos sic simpliciter terras latine nominari posse nego. Deinde avaris attributum multo convenientius est ad terras, quae non ultro offerunt argentum sed quasi reluctantur metallorum fossoribus, quam ad regum thesauros, qui non ita difficiles habent aditus. Atque si qui avaris habent pro casu tertio, ut structura sit: avaris i. e. ab avaris abdito terris, eo nomine peccant, quod negligunt legem verborum collocationis constantem et abdito participium removendi sensu in-

vita Minerva consociant cum nudo ablativo loci terris, quum requireretur in terras. Post terris nomen colon ponendum et proxima verba cum enuntiato conditionali, nisi temperato splendeat usu artissime coniungenda sunt. Lamnam denique poeta non „pro infabricata et rudi materia argenti posuit", ut cum Acrone existimat Ritter, nam eiusmodi materia in usu esse et splendere dici nequit. Imo lamna contemptim ponitur pro ipsa pecunia non aliter ac nos quoque Blech et blechen usurpamus. —

Carm. II, 7.

Horatius Pompejo Varo veteri amico militiaeque olim consorte subito ac praeter spem recepto vitae ante actae communiumque memor et voluptatum et malorum gaudet mirifice eumque hortatur, ut Jovi Servatori propter impetratam salutem debitum reddat sacrificium, domi autem suae (sub lauru mea v. 19.) a laboribus exantlatis requiescat laetoque perfruatur convivio.

Nihil hoc rerum ordine dixeris esse apertius, nihil planius. Secus visum Rittero. Is enim ad vv. 17—20 monet: „Hanc dapem in Vari domo ab ipso decebat offerri". — Quidni in templo Jovis? praesertim quum veri simile sit, illum a longa belli civilis militia modo reducem in patriam etiamtum propriam domum non habuisse. — Pergit Ritter: „Quae sequuntur: longaque — destinatis non ad unum aliquod convivium a poeta in gratiam amici parandum pertinent, sed rogatur amicus, ut saepe ad poetam venire ibique vina largius haurire velit." Quae sententia quomodo ex verbis Horati extricari possit nescio. Porro Ritter versum 21 seqq. non spectare convivium, quod Horatius paraturus esset sed dapem a Varo dandam magis contendit quam probavit. Nempe omnis eius rei certa desideratur significatio. Atque eundem miror post Lessingi, Friderici Jacobsi aliorumque curas versui decimo impertitas relapsum esse in eam opinionem, ut verba „non bene" denuo interpretaretur: „non fortiter". Cf. ad h. l. Teuffeli hist. litt. Rom. p. 415, not. 4, Dillenb. et Naucki annott. De turpi quadam ignaviae confessione eo minus cogitare licebit, quod structurae ratio postulat, ut verba „relicta non bene parmula", etiamsi non ad totum spectant exercitum, ut opinatur Duentzer, tamen ad utrumque sodalem referantur. Est igitur non bene nihil aliud nisi vox dolentis: „infeliciter" (leider), et celeritatem fugae in clariore collocat luce. Quod autem ait Ritter, parmulam ab Horatio sponte abiectam esse et consulto, scilicet ne agnosceretur tribunus militum, id neque cum verbis congruit neque cum animo Horati. Item de proximorum sententia versuum

„cum fracta virtus et minaces
turpe solum tetigere mento —

non possum quin a Rittero dissentiam. Subiectum, quod vocant, abstractum (virtus) cum proprio (minaces) in unam notionem coalescere poetica ratio vetat. Atque vereor ut exemplis probari possit, turpe solum per sese idem esse quod humum sanguine infectam. Quid valeat turpe h. l. disci potest ex Caesaris loco d. b. G. I, 13 fin. Denique qui in acie interfecti sunt non solent solum tangere mento. Nec quadrat, quod vulgo comparant, Homericum ἑλεῖν οὖδας et ὀδὰξ λάζεσθαι γαῖαν. Locum omnem docte expedivit Orellius in ed. maiore novissima pag. 249. —

Carm. II, 11.

Quod hoc odarium a Peerlkampo damnatum est tanquam male cohaerens, jejunum et Horatio indignum, id Meinekio nostrati magno fuit documento, quam diversa sint hominum palata. Hic „non diffiteor, inquit, me carmen hoc in iis semper habuisse, quae orationis castitate, imaginum venustate sensuumque veritate prae ceteris commendantur.“ Cui praeconio etsi non possum astipulari, tamen idem longe absum, ut iniquissimo Peerlkampi judicio subscribam. Si doctus ille Batavus legisset argumentum, quod Chr. D. Jani huic carmini proposuit, haud scio an judicasset aequius. Praeterea F. Lübker in commentariis ad Horati odas suis de sententiarum cohaerentia, quae qualisque esset in hoc carmine, scite disputavit.

Iam quod singula attinet, quae reprehendit Peerlkampus, versu tertio divisus participium unice ad nomen Scythes referendum esse non ad Hirpinum neque ad Cantabrum recte docet Orellius addens:„ ut mire quidam calumniatus est“. Eodem versu remittas verbum compositum non est pro simplici, ut plerique ajunt, neque rariore usu pro omittas, ut dicit Orellius, sed remittas quaerere significat haud dubie: noli tam intente, tam anxie quaerere sc. ut adhuc fecisti. In versu quarto et quinto: nec trepides in usum Poscentis aevi pauca ipsa verborum collocatio suadet, ut trepides conjungamus cum in praepositione, eamque structuram iam alii velut Meinekius et Nauckius commode explicarunt: „und zittre nicht für den Bedarf des Lebens, das nur Weniges fordert. „Similis est constructio apud Verg. Aen. II, 347: „Quos ubi confertos audere in proelia vidi“, et Aen. VI. 51: „Cessas in vota“. — Ad versum quintum sqq. annotavit Peerlkampus: „Hoc Horatius neque de se neque de amico dicere potuit, qui non imberbes juvenes sed iam viri (!) essent“. Quid autem? non lēvem i. e. imberbem et teneram juventam hoc loco designari sed lĕvem i. e. ad voluptates proclivem et oppositam gravi senectuti, apparet e mentione, quae continuo subsequitur, lascivorum amorum facilisque somni. Anacrusin autem versus Alcaici non usquequaque produci vix est quod moneamus. Cf., si tanti est, I. 35, 15 et 38. II. 3, 3. II, 14, 6. Verba hujus annotationis Peerlkampanae postrema: „Juventas in viro non praeterit sed jam praeteriit“, quid sibi velint, non satis liquet, certe usui loquendi latino repugnant. Multo autem magis mira sunt, quae sequuntur ad verba poetae facilemque somnum: „Inepta, inquit, sententia: juvenis amare potest et melius dormire“. O fortunatum aliquando senem Peerlkampum, cui somnus usque ad extremum spiritum fuerit facilis!

Ad versum 15. tenendum est Flaccum ante tempus canum fuisse, ut patet ex epistola I, 20, 24. Pergit autem Peerlkampus: „Sunt et alia sibi contraria. Supra dixerat: Canities pellit lascivos amores. Nunc dicit: Nos, canis capillis, eos capillos rosis ornemus et unguentis perfundamus et cum Lyde scorto familiariter simus“. At lascivi in Lyden amoris, quo uno secum pugnaret poeta, vestigium exstat nullum. Imo sub finem carminis haec leguntur: „Eburna, dic age, cum lyra maturet“.

Ad versus maxime vividos: „Quis puer ocius
Restinguet ardentis Falerni
Pocula praetereunte lympha?“

quales, sive verba sive sententiam et numeros spectamus, nullo pacto imitatorum pecus extudisset, putidam fecit Peerlkampus observationem hancce: „Horatius potius scripsisset: Quis, pueri, ocius“, quae praeterquam quod elisionem ingereret molestam, ne vera quidem est. Cf. Horat. Od. I, 29, 7: Puer quis ex aula etc. Certe a Claudiano, cujus exemplum affert P., discere non possumus, quid scripserit Horatius. Cetera Peerlkampi crimina egregie dissolvit Orellius. Itaque verbum non amplius addam. —

Carminis II, 13

primam stropham Peerlkampus praeeunte Guieto notavit ut spuriam. Cur tandem? Scilicet „propter intricatam constructionem et ineptas rei eiusdem sine ulla gravitate repetitiones. Quis enim animo aequo haec ferat: Quicunque te posuit, produxit, o arbos, qui te statuit agro meo, o triste lignum?“

Primum autem homo purgandi Horati studiosissimus non reputavit triste lignum quid sit, vix intelligi posse, nisi praecesserit perspicuum arboris nomen. Deinde posuit, produxit, statuit verba neutiquam sunt idem significantia, sed tres potius discernunt actiones inter se quidem differentes ita tamen continuas, ut tertia sine secunda utraque autem sine prima esse non possit. Neque enim in agro statuitur arbor nisi adultior. Ergo primum plantanda, deinde producenda i. e. educanda erat, ut cresceret, denique transplantata est in agrum poetae. Negat quidem Orellius transplantandi notionem inesse in verbo statuere, sed contextus rerum efficit, ut ea vis et potestas illi verbo concilietur. Structura huius exordii iam bilem movit magno Bentlejo. „Quid moramur, inquit, in redarguenda barbarie? Lege, ut edidimus, „„Illum, ô, nefasto te posuit die Quicunque primum etc.““ Fortasse auctoritati tuae, vir sagacissime, obtemperaremus, si memoriae fides non obstaret. Ipse enim narras, vulgatam scripturam ab omnibus ubique libris et scriptis et editis suppeditari neque aliter legi apud Diomedem grammaticum. Itaque tutius visum est acquiescere in verborum structura, quae ultro se offert, ut ad quicunque primum cogitatione repetatur „te posuit“, atque post pagi nomen finis versus quarti ab iis, quae sequuntur, distinguatur puncto, ceterum post tractavit verbum decimo versu nonnisi comma, denique post immerentis in clausula strophae tertiae iterum ponatur punctum in hanc speciem:

Ille et nefasto te posuit die,
Quicunque primum, et sacrilega manu
Produxit, arbos, in nepotum
Perniciem opprobriumque pagi.
Illum et parentis crediderim sui
Fregisse cervicem et penetralia
Sparsisse nocturno cruore
Hospitis, ille venena Colcha
Et quidquid usquam concipitur nefas
Tractavit, agro qui statuit meo

Te, triste lignum, te caducum
In domini caput immerentis.

Sic mihi quidem omnia plana videntur et sana. —

Carm. II, 14.

In suavissimo carmine libri secundi decimo quarto Dillenburgero omnia videntur a solita animi hilaritate Horati magnopere recedere et tristitiam quandam sapere, quam semper ab animo excludere ne illi quidem contigerit. In eandem sententiam Orellius „a similibus, inquit, eo potissimum differre carmen hoc videtur, quod tristiore cum aegrimonia et nescio quo moerore immoratur in recogitanda nimia vitae brevitate sqq." At totum si carminis colorem et habitum considero, poetam video mixtum quoddam genus et gravitatis et salis prope Heiniani consecutum esse, ut cum amico de instante senectute ac moriendi necessitate nimis, ut videtur, sollicito non sine miseratione quadam sed sine eius offensione animi humaniter cavillaretur. Ex eo facetiarum genere est rugarum commemoratio v. tertio et hyperbole illa versus quinti et sqq. „Non si trecenis, quotquot eunt dies, Amice, places illacrimabilem Plutona tauris, qui ter amplum Geryonen Tityonque tristi Compescit unda", quae verba quo iure F. Ritter explicet „si quoque anno trecenos tauros Plutoni mactes" equidem non assequor. Rectissime Iuvencius: „Non effugies mortem, vel si placare coneris Plutonem sacrificio quotidiano trecentorum boum." Deinde non minus facete iniecta est mentio Geryonis ter ampli et ingentis Tityi, quos Pluto dicitur tristi compescere unda. Denique sub finem gravissimam sententiam dulcissimis expressam verbis tetrastichon excipit bene salsum:

„Absumet heres Caecuba dignior sqq."

Qua solertia Flaccus, quemadmodum fere in clausula sermonum suorum facere solebat, animos lectorum a rei tristioris contemplatione ad hilaritatem traducit. Hic enimvero, qui in satira

„Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit et admissus circum praecordia ludit
Callidus excusso populum suspendere naso,"

ne in sublimioribus quidem carminibus lyricis insitam animi naturam et festivitatem prorsus dissimulavit. Quae res quum nonnunquam praeteriret criticos et interpretes, factum est, ut proba et germana falso in corruptelae suspicionem vocarent aut haberent pro suppositis.

In versu tertio decimo „carebimus" verbum, cuius fidem frustra attentavit Peerlkampus, apte defendit Dillenburger comparato carm. II, 10, 7. Carere h. l. tantundem valet atque abstinere, cavere, vitare. Nimirum loquitur poeta de civibus Romanis, qui carere non poterant bello, nisi militiam subterfugerent. —

Carmen II, 15

Chr. D. Jani inter excellentissima Horati opera referendum censet. Longe alia mens est Peerlkampo, qui carmen propter „universam ejus rationem, dispositionem, sententiam et exitum" a Venusino poeta totum abjudicat. De eo judicio, quo nihil fingi potest iniquius, paucis, si placet, absolvam.

Nempe hoc loco vates noster sincera patriae caritate impulsus exitiabilem aetatis suae luxuriam castigat eamque illustrat dextre opposita priscorum hominum continentia et animi magnitudine, qui majores, ut ait Cicero, „in privatis rebus suisque sumptibus minimo contenti, tenuissimo cultu viverent, in imperio atque in publica dignitate omnia ad gloriam splendoremque revocarent". Num ejusmodi sive sententia sive dispositio Horatio est indigna? Eam vero non ratione tractat philosopha, non de universo genere queritur: sed, ut decet poetam, quo magis feriat hominum sensus animosque percellat, una aliqua luxuriae specie proposita et notata, quae, ut illis temporibus maxime propria erat, ita facile in oculos incurrebat, furiosam dico aedificandi libidinem, aequales suos publicae salutis incuriosos, voluptatibus domesticae vitae praeter modum deditos, graviter hortatur, ut ad bonam frugem sese recipiant. Denique ipsum carminis exitum, quo majores celebrantur privatim parci et pauperes, publice liberales et in templis deorum exornandis magnifici, praecipua laude dignum esse, quis excepto Peerlkampo negabit? Singula ejus crimina hic persequi nihil attinet.

Ceterum v. 17. fortuitum cespitem a sollertissimo Horati interprete Dillenburgero etiam nunc intelligi de toro cespitum, in quo prostrati cubabant homines, idcirco miror, quia manifestum est per totum carmen agere poetam de aedificandi luxu, cui simplicissima veterum ratio opponitur. Itaque fortuitus cespes, antiquissima ad casas exstruendas materia, et novum i. e. integrum, nitidum, exquisitum saxum sibi respondent. — Leges autem intelligendae sunt sumptuariae, quae modum nimiis sumptibus facerent. — „Oppida publico sumptu novo decorare saxo" brevius dictum est pro: publica oppidorum aedificia et inprimis templa deorum sumptuosius et magnificentius exstruere. — Novum saxum Ritter nove sed artius, ut opinor, ad pavimenta viarum et templorum retulit.

Carm. II, 16.

Otium paravit iis, qui hoc carmen recte explanaturi sunt, praeter alios copiosa Lübkeri doctrina, qui et in otii notione definienda et in constituenda sententiarum serie diligentissime elaboravit. Itaque manum de tabula removerem, nisi notatu dignum videretur Peerlkampum, postquam poetae nostro tot probos versus adeoque integra carmina eripuit, hic post versum sextum quattuor versus desiderare atque additos velle hac fere sententia: „Sed nesciunt quid sit otium. Nam dei non dant, sed sibi quisque parat. Non tamen potentia nec divitiis". Sed difficile est dictu, quid ille sibi voluerit supplemento partim supervacaneo partim, etiamsi numeris expressum esset Horatianis, ita comparato, ut poetae sententiam perverteret. Eam vero sic procedere existimo: Otium concupiscunt omnes, pauci consequuntur. Nam quod quaerunt, non paratur extrinsecus, non opibus, quas mercatores et bellatores, non potentia et honoribus, quos ambitiosi cives Romani sectantur, sed positum est in animi tranquillitate, qua fere gaudent pauperes parvo contenti et securi. Neque quidquam ad beate vivendum proficitur τῇ πολυπραγμοσύνῃ, si tanquam diu victuri multa molimur et destinamus, neque itineribus in peregrinas terras susceptis, sed animo, qui sorte sua contentus est et in utraque fortuna bene temperatus. Nihil enim est ab omni parte beatum. Velut mea rura tuis, Grosphe, possessionibus non sunt

aequiparanda, sed hoc damnum consolata est Parca facultate, quam mihi dedit poetica et contemptu vulgi maligni.

Quantopere vero Horatius contempserit judicia vulgi et auram popularem praeter hunc locum arguunt carm. I, 1, 7: „Mobilium turba Quiritium."

Carm. I, 1, 31. 32: „Me secernunt populo."

II, 2, 18: „Dissidens plebi virtus" —

III, 1, 1: „Odi profanum volgus et arceo"!

III, 2, 17 seqq.: „Virtus repulsae nescia sordidae —"

III, 3, init.: „Justum ac tenacem propositi virum
Non civium ardor prava jubentium —"

Sat. I, 6, 15 sqq. praesertim 17, 18: „Quid oportet
Nos facere a volgo longe longeque remotos?" — Ibid. 97, 98.

Epp. I, 19, 37: „Non ego ventosae plebis suffragia venor" —

Quod autem versum nostri carminis 31 et 32 Ritter sic explicat: „Fortasse ego tibi superstes ero, ab hac parte magis quam tu beatus", id tam cum verbis discrepat quam cum animo poetae et humanitate. Sententia verborum potius videtur esse huiuscemodi: Data occasione fieri potest, ut ego consequar commodum, quod tu frustra quaesieris. Nec dubito, quin Horatius cogitaverit de otio. Quale vero otium in hoc carmine dicat, facile colligitur ex verbis strophae tertiae, nempe mentem dicit miseris tumultibus i. e. perturbationibus, cupiditatibus, curis liberam, semper aequam, semper tranquillam.

In verbis strophae, quae sequitur, quartae, ut vulgo leguntur:

„Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum,
Nec leves somnos timor aut cupido
Sordidus aufert —"

vituperat Peerlkampus duram constructionem. Non injuria. Idem recte reprobat Rutgersi rationem locum ita distinguentis: „Vivitur parvo bene. Cui paternum sqq.", quod sententia, quae ex tali constructione redeat, non vera sit. Accedit quod hoc pacto pro nec requiritur non. Ipse proponit: „Vivitur parvo bene, ubi paternum sqq.", quo non multum lucramur. Certe ubi particula, ut Orellius monet, pedestris orationis esset. Miror autem, quum ipse attulerit P. similem locum e clausula carminis tertii libri:

„Bene est, cui deus obtulit
Parca, quod satis est manu",

quod ei non in mentem venerit, poetam verba sua ita voluisse distingui:

„Vivitur parvo. Bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum,
Nec leves somnos sqq."

i. e. bene est ei, cui in munda paupertate animus est tranquillus. Cf. sat. II, 6, 4. Epp. I, 1, 89.

Praeterea ipsa versus ratio Sapphici, qualem Horatius formavit, huic explicandi generi suf-

fragatur, quum bene adverbium in altero hemistichio collocatum diaeresi quodammodo a praecedentibus separetur.

CC. XVII et XX.

Sub finem libri secundi in duo incidimus carmina argumento, nisi fallor, inter se artissime coniuncta, XVII et XX. Ac superiore quidem Horatius Maecenatem vehementer querentem de incommodis periculisque adversae valetudinis doloresque suos misere quasi foventem consolari studuit ita, ut eius sese nullo pacto superstitem fore promitteret. Cf. Epod. I, 5—6. Poetae autem amici querelis exanimato et in mortis meditatione defixo consentaneum est visum quendam in somnis obversatum esse insignem. Quem celebrat carm. XX. Scilicet ipse sibi visus est animam agere et de vita iamiam decedere Maecenas autem morituro sibi adesse clamans et de obitu carissimi vatis sui largos effundens fletus. Quem poeta bono animo esse jubet hoc alloquio: „Non ego, quem vocas, dilecte Maecenas, in terris morabor longius: sed neutiquam obibo, immo in canorum mutatus alitem per liquidum aethera invidia major ad sedes coelestes evehar. Ergo:

„Absint inani funere neniae
Luctusque turpes et querimoniae:
Compesce clamorem ac sepulcri
Mitte supervacuos honores.“

Diu multumque cogitanti de omni huius odae ratione singulorumque dictorum sive structura sive potestate nulla mihi ad controversias doctorum hominum componendas via sese obtulit commodior, quam quae ducitur ab ultima stropha comparata cum verbis tertii versus et quarti. Quod num successerit, non ausim decernere: mihi certe hoc enarrandi genus omnem denique scrupulum ex animo exemit. Iam vero poetam in aperto est loqui de funere suo, loqui cum Maecenate, quem mittere jubet sepulcri supervacuos honores et compescere clamorem. Magna enim voce Maecenas morientem nomine compellabat, quo eum, dummodo fieri posset, diutius in vita retineret. Quamobrem poeta: Non ego obibo, quem vocas i. e. ad vitam vocas, id, quod Ciceronis est ad Atticum III, 7., vel id quod revocas, ut Horat. carm. IV, 5, 13. Alii hunc locum aut contorta verborum junctura duraque interpretatione aut conjecturis tentarunt. Ac fuit quidem, quum ego quoque non vocas verbum sed probas a prima manu profectum esse arbitrarer, concedens in sententiam Dillenburgeri, qui „Horatius, inquit, in hoc carmine ut I, 1 ea maxime re gloriatur, suumque ingenium ideo praedicari non dubitat, quod Maecenati, vero artis judici et fautori quae fecerit carmina grata et accepta viderit.“ Similiter Goethius: „Wer einst den Besten seiner Zeit genug gethan, der hat gelebt für alle Zeiten.“ Hanc vero sententiam cum Dillenburgero ex verbis quem vocas elicere per loquendi usum non licebit. Neque omnino, si interpretationem a me supra propositam admiseris, opus erit conjecturis, atque facile patebit, cur nunc ipsum Maecenas compelletur dilecte. Adde quod in somnio poetae repraesentatio metamorphosis, quae fit in cygnum, nihil habet offensionis, ut cum Peerlkampo quattuor versus tanquam spurios expellere religioni ducamus.

V. 13. auctoritate fretus mss. nonnullorum praeeunte Nauckio restituendum puto notior pro ocior. Nam hoc loco neque celeritas, ut plerique, neque audax in sublime volatus, ut

Orellius autumat, neque casus ille fatalis, sed notitia Icari respicitur sola, ut docent quae sequuntur verba: „Me noscent, me discent.“ —

Ad librum III, C. 1—VI.

Carmina libri tertii sex priora huc redeunt omnia, ut vitam Romanorum non magis publicam quam privatam funditus corrigendam esse demonstretur. Quae carmina idem spectantia, eodem vestita metro noli cum Orellio dubitare, quin communi quodam sententiarum vinculo inter se contineantur. Quo de multos multa et maxime varia usque ad hoc tempus commentatos esse quis ignorat? Ex quorum nube commentariorum postquam emersi, haec mihi visa est carminum ratio et continuatio.

Primo carmine huius libri, ut saepe alias (cf. Carm II, 10. III, 24. Sat. I, 1, 106. Epp. 1, 7, 98), poeta docet, hominum vitam neque potentia generisque nobilitate neque divitiis et honoribus sed sola continentia (τῇ ἐγκρατείᾳ) animique tranquillitate reddi beatam.

Itaque carmine secundo pergit explicare ad hanc continentiam et paupertatem aequo animo tolerandam pueros Romanos, ut armis utiles bellique laboribus pares fiant, assuefaciendos esse. Sic aliquando viros fortes factos ut ab inani ambitione ita a loquacitate perfidiaque alienos et honesta vita et morte decora perfuncturos. Sed quorsum haec? Omnia videlicet singula ad τὴν ἀνδρείαν i. e. virtutem, quae proprie dicebatur, sunt referenda. Quae quum potissimum cernatur in bello, a fortitudine bellica, qua nihil pluris faciebant maiores populi Romani, exorsus poeta deinde transit ad virtutem civilem honestate et fide maxime conspicuam.

Tertio carmine canit invictam iusti viri constantiam eiusque mercedem aeternam, utpote qua heroes de genere humano egregie meriti, in quorum numero Augustus, evehantur ad superos, cui arti vel Juno dolorem suum gravemque iram, qua incensa fuerit in Romulum omnemque gentem Romuleam adeo condonaverit, ut et illum in coelum recipi et Romanos, dummodo fortuna admoniti Trojanorum, qui propter perfidiam et improbitatem merito perierint, in justitia perseverarent et abstinentia, totius terrarum orbis imperio potiri pateretur. Quod superest hanc sortem Iuno in ficta, quae ei tribuitur, oratione bellicosis Quiritibus ea condicione vaticinatur, ut ne unquam in animum inducant Ilium vetus reparare. Cujus condicionis quae caussa sit et ratio, Franciscum Ritterum arbitror in prooemio annotationis ad h. c. perquam probabiliter expedivisse.

Carmine quarto animi moderationem (τὴν σωφροσύνην) celebrat mitemque sapientiam, cui vastae vires et immanitate barbarae resistere nequeant. Itaque hac occasione tanquam praeteriens, nisi fallor, commendat Augusti principatum utpote illis reipublicae temporibus necessarium (cf. Tacit. histor. I, 1) ipsiusque principis humanitatem collaudat et in subiectos clementiam et prudentiam superbis immanibusque adversariis tanto superiorem, ut nemo ei impune renitatur. Hanc vero humanitatem atque consilii sapientiam acceptam referre Augustum Musis artiumque studiis optimarum, quae et mores emollire et beare tutumque a periculis praestare soleant tam principem civitatis quam privatum hominem, id quod priore hujus carminis parte suo ipsius exemplo abunde demonstravit. —

Quinti carminis summa haec est, ut Augusti exemplo parantis vindictam Crassianae cladis in Parthos refragante, ut videtur, curia et oratione Reguli pacis condiciones a Carthaginiensibus latas in senatu dissuadentis ornetur et illustretur vera patriae caritas cum constantia inexpugnabili conjuncta. —

Sexto denique poeta ostendit, quanto suae aetatis mores ab illis majorum virtutibus, quas supra laudaverat, intervallo distent, nec pristinam felicitatem nisi restituta religione deorum ac pietate inprimisque vita domestica et educatione iuventutis emendata recuperari posse. Sic poeta quasi per gyrum quendam rationis et doctrinae lectores ad saniora consilia et instituta revocare studuit. Nam unde exorsus est (I, 4: Virginibus puerisque canto), eo refert exitum (VI, 33—48: Non his iuventus orta parentibus sqq.) —

Quam continuationem seriemque rerum si quis animo sincero neque opinione aliqua praeoccupatus consideraverit, vix, credo, infitiabitur, haec carmina sex didactica a Flacco ita concinnata esse, ut aliud ex alio nexum et omnia inter se apta colligataque viderentur.— Nullo autem pacto probabit lusum ingenii, quo Peerlkampus abscissis, qui ipsi videbantur, pannis alienis ex his sex carminibus unum carmen gnomicum in modum Theognidis consarcinavit, quod a grammaticis valde corruptum et in varia carmina discerptum esse suspicatus est. „Caussas tanti sciat ille furoris". Ac post curas etiam Dillenburgeri et Ritteri eandem ei mentem perstitisse, ut apparet ex editione ejus Horati altera, quae prodiit Amstelodami a. MDCCCLXII, jure mireris. Scilicet de nexu sententiarum fatetur sibi hic aquam haerere. Hinc colligit librarios fecisse varia carmina ex uno longissimo eosdemque simul alia turbasse. Velut strophas primi carminis nonam et decimam pro intolerabili habet additamento grammatici male seduli non alia de caussa, nisi quod ei nonnulla in elocutione displicent. Quaerit enim: Quis unquam serio dicat: „pisces sentire aequor contractum". At prodeat, obsecro, qui hoc: pisces jactis in altum molibus non amplius in patente mari sed iam in piscinis fabrefactis inclusos natare, verbis tam latinis quam poeticis extulerit melius. Nam circa villas marinas, quibus et ipsis per superlationem poetae concessam mare dici potest artatum, etiam septa piscibus alendis fuisse oportebit, quibus pisces coerciti non poterant non sentire aequor contractum. Cf. Heyni annot. ad Tibull. II, 3, 45. Deinde fastidivit criticus hos versus:

„Huc frequens
Caementa demittit redemptor
Cum famulis dominusque terrae
Fastidiosus". —

„Sic, inquit, loquuntur prosae scriptores v. c. Vitruvius docens, qua ratione fundamenta aedificii in aequore ponendi sint jacienda". Doleo autem, quod censor acerrimus parem aut similem certe locum Vitruvii afferre neglexerit. Equidem ego cum ceteris interpretibus nihil in verbis reperio, quod dedeceat poetam, neque ille quidquam ostendit. Atque alienissima est ab usu pedestris sermonis audacia hypallages, qualis comparet in verbis „frequens redemptor cum famulis" pro: cum frequentibus famulis, quemadmodum paullo infra v. 42 simili inversione dicitur: „usus purpurarum sidere clarior" pro: usus purpurarum sidere clariorum et III, 5, 20: „tergo civium libero" pro: liberorum.

Non maioris momenti sunt, quae Peerlkampus exprobravit Flacco de verbis subsequentibus: „dominusque terrae fastidiosus.“ Quid, quaerit, hic dominus? An et ille una cum famulis et redemptore manum operi admovet? Respondeo: Minime gentium. Redemptor regit, ut debet, frequentes famulos opus manu facientes. Dominus adest laborantibus, ut opus spectet et urgeat, quemadmodum legimus Carm. II, 18, 20 et 21:

„Marisque Bajis obstrepentis urges
Summovere litora“.

Quae adduntur verba: cum famulis, ad solum referenda esse redemptorem neque ullo modo pertinere ad dominum terrae, ut Peerlkampum verba iunxisse video, neminem facile fugiet. Quod autem idem contendit „Caementa demittit“ pro: demitti jubet, ne latinum quidem esse, „quia in tali re universam aliquam notionem ponamus non specialem“, id nollem homini doctissimo excidisset. Si res est tanti, cf. Cic. de fin. V, 23. Ejusd. orat. Phil. XII, 3, 8. Corn. Nep. IV, 5, 2 et sexcenta in comment. I. Caesaris. Etenim ad hujus usum breviloquentiae nihil interest, utrum generalis aliqua notio an specialis ponatur, sed ut aliquem per sese pateat rei, quae verbis exprimenda est, ordiendae et conficiendae non actorem esse sed auctorem.

Iam vero longum est persequi argutias, quibus versuum, qui sequuntur:

„Sed Timor et Minae
Scandunt eodem, quo dominus, neque
Decedit aerata triremi, et
Post equitem sedet atra Cura“.

sententiam subverterit Peerlkampus. Unum modo dicis caussa afferam. Ad v. 37 notat haec: „Timor et Minae scandunt in aedificium illud in mari constructum. Sed hujus aedificii modo vidimus fundamenta. Igitur fundamenta scandit dominus.“ Poeta autem nobis ob oculos ponit dominum, qui nihil intentatum relinquit, ut atris curis liberetur. Domos in mari struit, navigat, equitat. Frustra. Quidquid molitur, Timor et Minae ab eo non decedunt, sed quoquo versus eum comitantur. Haec sententia est, quae non operose conficiatur sed sponte fluat e verbis Horati. —

In tertio carmine Iunonis oratio tam suspecta fuit Peerlkampo, ut eam omnino repudiaret. Attamen si vera sunt, ut facile credo, quae F. Ritter de temporis occasione, unde ficta illa oratio petita sit, atque de ratione ejus subtiliter exposuit: non est infitiandum, hoc non modo, ut idem interpres ait, episodium esse a primario carminis proposito non alienum sed partem carminis gravissimam ac prorsus necessariam.

Quid enim? omnia tendunt ad res ab Augusto sive iam gloriose confectas sive sapienter institutas et constantiam esse praecipuam ejus laudem significant, ideo quod de Iunonis sententia ac voluntate praefracte pravo illorum consilio adversetur, qui veterem Trojam restituendam eoque imperii sedem transferendam censeant. Quod quam damnosum fuerit consilium, postea a nullo non intellectum est, ex quo Byzantium Orientis caput constitutum et imperium Romanum divisum erat.

Contra ea Peerlkampus orationis illius Iunoniae sententiam convenire cum antecedentibus negat, quasi ea non sponte profluat ex universa constantiae praedicatione per totum carmen diffusa atque tecta Augusti laude sollerter absoluta. „Neque ingenium Iunonis bene in omnibus est observatum. Loquitur tanquam sola, invito Iove et omnibus Diis, pro suo imperio agat, et hoc Iupiter Diique lento animo patiantur cet". Legitne criticus verba poetae:

„Gratum elocuta consiliantibus
Iunone Divis."?

Pergit autem P.: „Et quomodo illa tantopere faveret Romanis, eosque etiam laudaret, oblita suae Carthaginis, ubi regnum gentibus futurum sperabat?" Quidni faciat Quirini et Augusti virtute Romanis reconciliata? „Neque vera sunt, quae Iuno hic memorat. Regnaverunt et regnabant Romani et Troja saepe fuit restituta". At novum Ilium ad mare situm non esse inclitum illud Ilium Homericum poetae persuasum erat. Cf. Ritter ad v. 40. Ceterum Peerlkampus frigidiore suo judicandi genere in transversum actus interiorem et poeticam orationis illius sententiam handquaquam perspexit. Quae vituperavit in singulis locis, sunt fere ejusmodi, ut nodos in scirpo quaesivisse videatur. Taceo de iis, quae jam ab aliis imprimisque a. F. Lübkero refutata sunt. Quamquam hic ad crimen a Peerlkampo illatum in vv. 57 et 58:

„Sed bellicosis fata Quiritibus
Hac lege dico sqq."

non attendit. Ut paucis complectar, dicit P.: „Iuno fata noscere poterat, legem aut condicionem fato addere non poterat". Nonne autem Iuno fata i. e. res prosperas futuras ea condicione Quiritibus nuntiare et potuit et debuit, quae in ipsis fatis erat?

Ceterum de deis et fato docte ac plenissime disseruit C. Fridericus de Naegelsbach in libro: Homerische Theologie, Nürnberg 1861. Abschn. III. S. 120 ff. praecipue § 11 sqq., quibus ὑπέρμορον quid sit dilucide explanatur. Homericis vestigiis in eo genere omnino insistens Horatius de caussa et necessitudine, quae fato cum deis intercedat, similiter ambigit. Carm. IV, 2, 38 „fata bonique divi" perinde atque senatus populusque Romanus coniunguntur. In eiusdem carmine seculari Parcarum et Deorum ius munusque idem et par videtur esse. Adde Carm. I, 24, 17. II, 17 alia. —

Ad postremam stropham, qua Flaccus Musam suam revocat ab argumento grandiore verbis hisce:

„Non hoc jocosae conveniet lyrae:
Quo, Musa, tendis?"

annotat P.: „Nec sane haec conveniunt cum gravissima praefatione: „Odi profanum sqq." Disconvenirent sane, siquidem illa carmina non prius audita, ut fere fit, necessario accipienda essent de argumenti gravitate singulari. Sed quid vetat cogitare de modorum novitate lyricorum maxime Alcaicorum, ut carm. IV, 9. „non ante volgatas per artes"? —

In primum carminis quarti versum exstat hoc scholion Porphyrionis secundum edit. Ferd. Hauthali Berolin. p. 274: „Invocat (poeta) Musam, ut se juvet in carminibus. Sed quod ait: Descende coelo, ad illud pertinet, quod velit jam transire a Iunonis sermonibus, quos in coelo habuisse eam ostenderat". Quocum Acron, si discesseris ab iis, quae foede depravata sunt,

propemodum consentit. Arguunt, opinor, illa scholia, quid vetusti eorum auctores de arto horum carminum nexu existimaverint. Omnino hic introitus, quum non spectet ad carmina, quae deinceps subsequuntur, sed cum perpetuo nostri ipsius carminis tenore cohaereat, mihi quidem ab eo, qui carmini hujus seriei primo praepositus est, videtur ita diversus esse, ut minus recte tota haec series in duas aequales partes divisa dicatur. Verba quarti versus:

„Seu fidibus citharaque Phoebi,"

contra atque Rittero placuit, antiquitus scripta puto, ut fidibus citharaque idem denotetur instrumentum musicum. Alioquin enim post „fidibus" Mercurii nomen omitti non potuit. Flaccus autem ab invocatione Calliopes, cujus vim praesentem illico persentiscit, quasi ludibundus pergit narrare versu nono:

„Me fabuloso Vulture in Apulo
Altricis extra limen Apuliae sqq".

quemadmodum verba etiamnunc in optimis exemplaribus leguntur. Utinam mox novus isque probatus codex in lucem protrahatur, qui tandem aliquando frangat hanc crucem interpretum atque de medio tollat! Quotiescunque in eam incido, vehementer offendor. Enimvero praeterquam quod idem nomen brevissimo intervallo in duobus versibus sese excipientibus moleste repetitur, quod A vocalis neglecto constanti ipsius Horati usu in prima nominis Apuliae syllaba corripitur, atque limen potestate Horatio inusitata usurpatur, quis principem poetam, quum dicere voluisset, sese in Vulturis montis ea parte, quae porrigitur in Lucaniam, obdormivisse puerum, id credat tam invenuste balbeque verbis expressisse in hanc speciem: Ego puer obdormivi in Vulture Apulo extra limen Apuliae? An quis est, qui ferat subtilitatem geographicam pedestri Musa digniorem in poemate lyrico tam sublimi? Haec molestia ne Lachmanni quidem sagacitate, qui de conjectura a Rittero recepta in locum verborum limen Apuliae substituit limina Dauniae, abstersa est. Itaque sublatis signis transeo in castra Bentleji altricem interpretantis mulierculam, cujus extra limen evagatus puer Horatius in monte Vulture obdormierit. „Id, inquit, auget miraculi vim, quod solus a nutricis domo evagatus sospes tamen evaderet. Si enim cum nutrice et domesticis fuisset, nihil adeo admirandum esset. Omnia igitur belle haberent, si modo illud Apuliae removere aliquo possemus: neque enim nomen mulieris id est, neque nutrix hic nomine suo indigitari debuit". De altero assentior, de altero non item. Horatio enim, credo, sua nutrix, quamvis paupercula esset, non minus cara fuit quam Cajeta Aeneae. Quamquam igitur nominis proprii mentionem per se neutiquam cum Bentlejo ineptam plane et absurdam duco, tamen eam huic loco non opus fuisse concedo. Bentlejus autem porro: „Equidem crediderim sic ab Horatio scriptum esse:

Altricis extra limina sedulae".

Num forte nutrix etiamtum fuit sedula, quum passa est puerulum custodiae suae commissum ex oculis elabi et evadere? Non dixerim. Miror Bentlejum, quandoquidem Horati nutricem sibi informaverit ancillulam sole coctam, cui nomen Phrygiae aut Syrae, non incidisse in conjecturam: „pullulae". Multo autem mihi videtur probabilius, posuisse Horatium:

Altricis extra limina pallidae.

Certe consentaneum est, subito terrore mulierculam expalluisse, quum infantem fidei suae creditum desiderare ac frustra quaerere coepisset. Neque dissimilis est vox „pallidae" corruptis litterarum ductibus, qui ejus loco e codicibus mss. afferuntur. Eandem corruptelam pertinere ad vetera scholia ex varietate patet scripturae, quae visitur in codd. Acronis teste locupletissimo Hauthalio p. 265. Ceterum audiatur etiam de hoc loco Vanderbourgius: Les circonstances de l'aventure et en particulier l'animosus infans du v. 20 semblent en effet présenter le poète comme échappé à la garde de sa nourrice, lorsque cette aventure lui arriva, et c'étoit l'opinion des vieux scholiastes. —

Fabulosae palumbes versu nono sunt quos Klopstockius in ode sua, quae inscribitur: Der Lehrling der Griechen, vocat dichterische Tauben. Poetae enim fabularum auctores multa quoque, ut Anacreon, Vergilius, alii de columbis fabulantur. —

Sequitur inde a v. 49 enarratio Gigantomachiae, quae probe discriminanda est a praegressa Titanomachia similiumque mentione facinorum ad homines ab insolentia pravoque virium usu dehortandos. Eam carminis partem, quamquam constanti librorum mss. auctoritate et antiquissimorum fide testium nititur, excepta stropha penultima Peerlkampus grammatico alicui adscribit mythologiae perito. O rari exempli grammaticum, qui bono otio, ingenio, doctrina ad Horatium ornandum aliosque decipiendos abuti quam suae laudi consulere maluerit! Neque is mythologiam tam libere ad propositum adhibuisset suum, quam hoc loco a poeta videmus factum esse. Carminis autem argumento, quod supra proprosuimus, tantum abest, ut longior Gigantomachiae enarratio respuatur ut ratione ejus et progressione postuletur. Itaque non adventicia quaedam pars est sed cum ipso poemate nata. Recte autem Titanes dicuntur magnum terrorem Iovi intulisse, ut Orellius ostendit in secundo excursu ad v. 53 verbis Gerhardi. Neque prudentis est adversarios fortes contemnere. Quod inde a v. 58 Peerlkampo instructa mire videtur acies Deorum, vix, credo, majorem fidem inveniet apud Moltkios nostros quam ipse poeta, qui quam commode personas suas symbolicas delegerit et descripserit, discimus ex commentariis Ritteri.

Strophae carminis paenultimae:

„Iniecta monstris Terra dolet suis" sqq.

ut iam supra dictum est, pepercit Peerlkampus addens: „Haec genuina strophe iusto ordine sequitur versum 48: Imperio regit unus aequo. Sic omnia bene cohaerent. Repetitio tamen fulminis minus grata est. Sed etiam in hac voce grammaticus sive hic sive supra aliquid mutare potuit". Ergo in eundem rursus misellum grammaticum confers culpam, quae tibi, o censor, debetur! Ista sane intolerabilis esset repetitio. Deinde etiamsi versus 73 agglutinari potest versui 48, reclamant tamen verba extrema:

„nec peredit
Impositum celer ignis Aetnam",

quibus verbis certo respicitur ad Typhoeum (cf. Pind. Pyth. I, 32 sqq. ibique Hartung) et Enceladum (Verg. Aen. III, 578) gigantes i. e. ad versus 53 et 56, quos inter spurios numeravit

Peerlkampus. Quam infelix denique foret illa clausula carminis, cuius vidimus cardinem versari in praedicanda vi temperata?! —

Carminis quinti, quod P. sartum tectum conservavit, initio credidimus perfectum non aliter usurpatum est atque apud Verg. G. IV, 212:

„Rege incolumi mens omnibus (apibus) una est:
Amisso rupere fidem, constructaque mella
Diripuere ipsae et crates solvere favorum.“

Cf. Madvigi gramm. lat. § 335 not. 3. Nullo enim pacto adducor, ut cum Rittero credam credidi h. l. valere: Ich habe zu glauben begonnen, quasi poeta id quod carm. I, 34 sibi accidisse confitetur, ut pro non credente credere coeperit, Iovem in coelo regnare, hoc loco repetat et denuo inculcet. Nam primo quidem exemplum, quo ille perfecti temporis usus stabiliatur, frustra circumspicio. Deinde poeta non de semet solo sed de populo Romano loquitur. Quod enim Ritter habebitur suppleri vult addito: a me, ea profecto duriuscula esset ellipsis non imputanda Horatio, qui obscuritatis vitio minime tenetur. Denique permagni intellexit Horatius interesse ad pacem salutemque civitatis, ut non ab se uno agnosceretur Augustus praesens divus sed ab omni populo, idque praedicit eventurum, simulatque imperator gentes nomini Romano infestissimas perdomuerit.

Exstitisse autem tunc in senatu, qui expeditioni in Parthos suscipiendae acriter adversarentur, ut Romanis parceretur militibus ex Crassi clade relictis, qui interim sedes illic stabiles et matrimonia iniissent cum filiabus Parthorum, exclamatio declarat poetae indignantis de curia inversisque moribus v. septimo. Alioquin enim haec verba non haberent quo referrentur. Itaque ut Augustus et Regulus de patriae amore inexpugnabili ita de turpi ignavia patriique moris oblivione contenduntur inter sese Crassi et Reguli milites digni sane, quos sine ulla miseratione perire patiantur.

In versu quinto decimo trahentis, quam codd. mss. scripturam unice veram habeo, non, ut autumat Dillenburger, de contagione positum est sed de consilio et conclusione, ut significet deducentis, colligentis, id quod iam Acron scholiastes perspexisse videtur, cuius annotationem apud Hauth. p. 280 sic reficio: „trahentis in futurum perniciem processuram, si tale induceretur exemplum, Romanis non pereuntibus, qui capi poterant.“ Exempla suppeditabit Forc. s. v. traho. —

Transgredimur ad carmen sextum, in quo accidit Peerlkampo, ut optima quaeque et venustissima obelo suo configeret. Statim in limine:

„Delicta majorum immeritus lues
Romane, donec templa refeceris“ —

quum immeritus attributum non concoqueret, suo Marte reposuit contrarium meritus. Ut nihil dicam de suavitate numeri corrupta, luce clarius est, qui aliorum delicta luat, eum plecti sine sua culpa sive immerito.

Vv. 7—8: „Di multa neglecti dederunt
Hesperiae mala luctuosae“ —

Ritter multa mala minus recte retulit ad bella civilia ex irreverentia deorum nata. Immo bella civilia et ipsa numeranda sunt in delictis, quibus deorum iram contraxerant Romani. Quae et qualia mala nunc obversata sint animo poetae, subinde dicit:

„Iam bis Monaeses et Pacori manus
Non auspicatos contudit impetus
Nostros" —

ergo clades a Parthis acceptae, motus in urbe et civium pavor, quum Cleopatra imperio Romano immineret. Huic enim, non Antonio bellum indictum erat a senatu. (Dio C. 50, 6.) Peerlkampus autem hanc stropham et sequentem prorsus rejecit. Ait enim: „Haec exempla sine judicio ex historia petita sunt." At num quid luctuosius Hesperiae accidere poterat quam illa contumelia Romanis a Parthis imposita a Cleopatra certe intentata? Verba bis contudit falso accipi de quatuor cladibus manifestum est. Sic enim et particula ante nomen Monaeses omittenda non erat. Dubitationem de hoc nomine allatam bene sustulit Ritter. — Quod autem nauseam movit Peerlkampo versui undecimo additum pronomen nostros, id quidem perspicuitatis ratio flagitat. —

Impetus non auspicati h. l. latius patent et significant impetus dis invisos, infelices. Nihil igitur refert, utrum Didius Saxa et Antonius a dis fuerint admoniti, ut a Parthico bello abstinerent, necne, neque id ipsum a Peerlkampo urgendum erat. Idem pergit stropham impugnare hisce: „Si vero causam belli civilis repetit (Horatius) a neglecta religione, ut ipsum bellum fuerit poena, Augustum ea re gravissime offendisset." Minime. Nam Augustus bellum Actiacum et Aegyptium non civile sed externum seque propugnatorem imperii Romani extrinsecus periclitantis videri voluit. — Constructionis ambiguitatem, quam in verbis:

„et adjecisse praedam
Torquibus exiguis renidet" —

calumniatur P., equidem frustra rimor. Neque erat, cur offenderet in exiguis torquibus Parthorum scilicet ditissimorum, quasi opulenti populi milites latos torques gestare oporteret! — Stropham, quae sequitur, levissima de caussa damnat. „Si quis, inquit, haec primum legat, nullo antea consulto interprete, is non alia nisi hac ratione accipiet: Exercitus Dacorum et Aethiopum conjunctus Romam discordiis agitatam obsedit, paene cepit ac delevit." Quis autem est, qui praeter Peerlkampum ex his poetae verbis obsidionem urbis per Dacos et Aethiopes factam extorqueat? Horatius urbem non a barbaris nationibus sed intestinis seditionibus occupatam fuisse dicit, quippe quum bello Actiaco alii cives ad M. Antonium alii ad partes Octaviani sese applicarent. —

Sed nondum contentus hac strage P. in septimam quoque et octavam stropham quasi in possessionem caducam involavit. Audi, si placet, ejus calumniam: „Non credo haec tam ridicula et obscoena ab Horatio esse posita in eo carmine, quod praecepta continet egregia et orationem habet lyricae gravitati consentaneam." Ego semper in ea fui sententia, ut illa verba: „Mox iuniores quaerit sqq.," quibus res turpissima h. l. non praetereunda satis severe atque modeste notatur, poetae non ludentis sed indignantis esse existimarem, quique ea cum Peerlkampo rideret, adhuc, quod sciam, inventus est nemo. Sed percipe, si patientia suppetit, reliqua:

„Satis, inquit, intelligimus, quam corrupti fuerint mores et inquinata matrimonia, ubi virgo a matre Ionicos motus discit et amores incestos de tenero ungui meditatur. Turpia hujusmodi exempla ex hominum vita sic notare proprium est satirae neque abhorret a carminibus amatoriis Catulli et reliquorum." — Nonne hoc est fluctus excitare in simpulo? Virginem a matre discere saltationes Ionicas vv. 21 et 22 Horatius narrat Peerlkampi, non ille germanus, neque haec ad matrimonia pertinent inquinata sed ad pravam liberorum educationem, neque respuisse Horatium satirica, ubi res ferret, in lyricis supra iam commemoravimus. Ut brevi praecidam, expunctis strophis, quas P. damnavit, duabus legitimus sententiarum ordo turbatur. Etenim hi versus:

„Non his juventus orta parentibus
Infecit aequor sanguine Punico"

disconveniunt illis:

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo et fingitur artibus:
Iam nunc et incestos amores
De tenero meditatur ungui. —

Contra est in aperto **iam nunc** particulas v. 23 et **mox** v. 25 invicem sibi respondere. Artissime autem inter se cohaerent verba: iam nunc de tenero ungui i. e. iam nunc tenera aetate virginali incestos meditatur amores, mox nupta libidinibus suis servit impudenter. Ceterum noli cum Ungero, Orellio, aliis verba: „de tenero ungui" ingeniosius quam verius interpretari „penitus", ex intimis nervis, medullitus, id quod vetat et constans vis tener adjectivi, quae obtinet apud Horatium, et singularis numerus ungui et de praepositionis usus. Neque de tenero ungui est Graecorum *ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων,* quod latine redditur a teneris unguiculis (Cic. ad fam. 1, 6, 2). Ejusmodi explicatio tam sententiae hujus loci repugnat quam consuetudini sermonis latini. Enimvero **de** praepositio ubi ad tempus significandum adhibetur non quemadmodum **ab** id temporis punctum significat, unde aliqua actio incipit, sed eam temporis partem, in quam incidit actio. Velut apud Flaccum ep. I, 2, 32 surgunt de nocte latrones i. e. tempore nocturno. Plura exempla collegit G. T. A. Krüger in grammat. lat. pag. 501 §. 377 not. q. — Restat ut suspicias consilium et sapientiam antiqui poetae aeterna commendantis publicae felicitatis fundamenta pietatem cultumque deorum, sanctitatem matrimoniorum, bonam denique juventutis educationem. —

Bericht

über das Schuljahr von Ostern 1868 bis ebendahin 1869.

A. Chronik.

Im Laufe des vorigen Jahres wurde durch den Wohllöblichen Magistrat hiesiger Stadt als Compatron des Gymnasiums im Innern des Gymnasialgebäudes ein Umbau angeordnet, der einige schreiende Uebelstände beseitigte. Dem früheren Zeichnensaale gebrach es an Raum und Licht. Beides ist in dem neuen Saale in ausreichendem Maasse vorhanden. Ausserdem hat man denselben mit der an sich ebenfalls sehr beschränkten Aula in Verbindung gesetzt und letztere dadurch für Festversammlungen geeigneter gemacht. Ferner sind zwei geräumige und gesunde Lehrzimmer hergestellt und demzufolge die Quartaner wieder unter einem Dache mit den übrigen Klassen vereinigt und die Secundaner aus der quetschenden Enge eines noch dazu vielen andern Unzuträglichkeiten ausgesetzten Locals erlöst worden. Die städtischen Verwaltungs-Behörden haben sich dadurch gerechten Anspruch auf den Dank aller Betheiligten erworben.

Eine Veränderung im Personalbestande des Lehrer-Collegiums ist glücklicherweise diesmal nicht zu constatiren. —

Abiturienten, welche nach bestandener Maturitätsprüfung mit dem Zeugnisse der Reife entlassen werden konnten, waren zu Ostern:

1) Paul Gerber, Sohn eines Landwirths, geboren in Schulzenhagen bei Colberg am 24. April 1848, evangelischer Confession, sechs Jahre auf dem hiesigen Gymnasium, davon zwei in Prima, gesonnen in Berlin Philologie zu studiren.

2) Otto Schultz, Sohn eines Kreisgerichtssecretärs in Dramburg, geboren zu Cöslin am 8. Februar 1848, evangelisch, Schüler des hiesigen Gymnasiums überhaupt acht Jahre, davon zwei Primaner, sudirt Jura in Leipzig.

3) Ernst Lüttschwager, geboren dahier am 18. Mai 1848, ebenfalls evangelisch, 7½ Jahr Zögling des hiesigen Gymnasiums, 2 Jahre Primaner, studirt Philologie in Halle.

4) Fritz Backe, Sohn eines Kreissteuereinnehmers in Dramburg, geboren in Treten bei Rummelsburg den 15. Mai 1847, evangelisch, war auf dem Gymnasium dahier 9 Jahre, davon 2 in Prima. Derselbe ist in die Königliche Armee als Avantageur eingetreten. —

Zu Michael:

5) Waldemar Prange, Sohn des Schulraths bei der hiesigen K. Regierung, geboren in Weissenfels am 28. August 1847, evangelischer Confession, war überhaupt vier und ein halbes Jahr Gymnasiast, 2 Jahre in Bunzlau, 2½ hier als Primaner, widmet sich der Theologie in Halle.

6) August Maass, ebenfalls evangelisch, Sohn des Lehrers Maass in Vangerow bei Panknin, geboren in Vangerow am 28. Februar 1847, 8½ Jahr auf dem hiesigen Gymnasium, davon 2 in Prima, treibt dasselbe Studium auf derselben Universität wie der vorige.

7) Eugen Marquardt, geboren zu Cöslin am 20. Juni 1846 als der Sohn des Kanzleiraths Marquardt, evangelisch, besuchte das hiesige Gymnasium 11½ Jahr, 2 Jahre als Primaner und studirt nunmehr Jura in Leipzig.

8) Georg Dürr, Sohn eines zu Königsberg bei Wittstock verstorbenen Pfarrers, evangelisch, geboren den 15. Mai 1847, war im Ganzen 10 Jahre auf dem Gymnasium, davon 8¼ Jahr auf der lateinischen Schule zu Halle, 1¾ Jahr hier, beabsichtigt zur Militärverwaltung überzugehen.

Behufs der schriftlichen Prüfung war den Examinanden des Ostertermins für den lateinischen Aufsatz folgendes Thema gestellt: Exponatur de primariis gentis Romanae virtutibus. Zu Michael: Disseratur de gravioribus quibusdam belli Peloponnesiaci caussis.

Für den deutschen Aufsatz hatten die Abiturienten zu Ostern die Frage zu beantworten: „Inwiefern hat Preussen nach einem Ausspruche Friedrich Wilhelms des Vierten eine Geschichte ohne Gleichen?“ — Zu Michael: Was ist in Herders Wahlspruch: „Licht, Liebe, Leben“, als die Bestimmung des Menschen bezeichnet?

Die mathematischen Aufgaben waren:

1. Eine Gartenfläche von der Form eines Rechteckes von 70' Länge und $52\frac{1}{2}$' Breite soll in der Mitte einen Grasplatz erhalten von der halben Grösse des Gartens, dessen Umfang von dem Gartenzaune überall gleiche Entfernung hat; wie lang und wie breit muss man den Grasplatz anlegen?

2. Die Diagonalen eines Parallelogramms sind 58' und 46' lang, die eine Seite 32', man soll die Winkel des Parallelogrammes berechnen.

